

nam agentium. Ita multi apud Sanch. *loc. cit.* n. 39. Si vero absque illa expressa limitatione professæ sunt, tenentur regulam sic reformatam amplecti; quia sponte sua in Religione profitentes, se ita regulæ, & vitæ Religiosæ subiciunt, ut paratæ esse debeant, quantum ex se est, ad conservationem ipsius procurandam; quare si bonus Religionis status collapsus sit, tenentur moniales pati, ut instauretur, & per consequens tenentur etiam regulam sic instauratam observare, Sanch. *loc. cit.* alique plurimi ibi relati. Licet tamen Regulares regulam, quam professi sunt, teneantur observare, & cogendi sint; nihilominus moniales, quæ non ita exacte eam observant, veluti in jejuniis, in comedendo carnes, gestando indusium lineum, recitandis horis matutinis certa hora noctis, sunt tolerandæ, ut in monialibus S. Benedicti; & hoc esse juxta mentem Gregorii XIII. asserit Pignat. *com. 8. consult. 45. n. 25.*

CAPUT II.

De Puellarum receptione ad habitum Religionis.

§. I.

De conditionibus requisitis in Puellis recipiendis.

Quæst. 1. Quæ conditiones attendi debeant in puellis ad habitum recipiendis.

Resp. Varias præscribi condiciones, tum jure naturali, tum jure Pontificio, tum jure particulari singularum Religionum. Ideo hæc omnia

at: CB-

attendere debent moniales Deum solum, & bonum Religionis præ oculis habentes, omni carnis sanguinisque interesse postposito. Solum igitur idoneas quoad tempus, & vires recipiant, considerata religionis austeritate majori, vel minori, attentisque laboribus, ad quos assumuntur puellæ. Si enim aliqua in Conversam recipiatur viribus destituta, certum est, quod non erit habilis, & similiter si ad asperissimam Capuccinatam religionem assumatur aliqua delicatula, & debilis, non attenditur in hoc bonum Religionis.

Quæst. 2. An amentis in aliquo genere, sed in reliquis ratione utens, possit ad probationem, & professionem admitti.

Resp. Ex Bordon. *variar. resp. 2. ref. 54. n. 25.* affirmative; quia cognoscit quid experiatur, & ad quid se obliget, ut suppono. Imo ejusmodi personæ potius simplices, & leves, quam amentes dicendæ sunt. Item si dementia superveniat Novitiæ jam receptæ, non per hoc tenetur vel Novitiatum denuo incipere, vel phrænesis tempus supplere, si per octo, vel quindecim tantum dies duraverit, cum tam breve tempus pro nihilo reputetur. Secus vero est, si in dicta alienatione mentis duret per mensem; nam licet tunc non teneatur novum Novitiatum incipere, cum non teneatur eo tempore Novitiatum interruptus, tenetur tamen, tempus illud dementiae supplere, quia qui rationis compos non est, disciplinam Ecclesiasticam experiri non potest. Ita Sanch. & Barb. citati a Peyrin. *r. 2. q. 3. §. 2. n. 39.* contra Bord. *loc. cit. n. 27.* qui negat debere suppleri, & contra Suarez, qui sustinet, novum Novitiatum esse incipiendum.

Quæst.

Quar. 3. Ad quem spectat probare dementiam in ordine ad expellendam puellam monasterio.

Resp. Ad illum spectare, qui vulg. illam excludere. *Gloss. in cap. Gonsaldus 17. q. 2.* Talis autem dementia probari potest per alias moniales, cum quibus stulta conversata fuit. *Rota vol. 2. dec. 107. n. 8.* quia vicinis; & cum quibus conversatur, præsumuntur nota facta nostra, *ex t. quosdam 7. c. quanto 8. de præsumpt. ubi n. 24.* dicit, dementiam esse probandam adfuisse tempore professionis, & censetur probata, si constat de amentia ante, & post professionem? quia probatis extremis, præsumitur de mediis, ut de furore argumentantur. *Anchar. Ruin. & Curtius junior relati a Bord. sup. n. 35.*

Quar. 4. An viduæ, & illicite corruptæ possint ad Religionis habitum admitti.

Resp. Quoad viduas affirmative stando in jure communi; tum ex ipso usu Ecclesiæ, tum ex cap. *Vidua 20. q. 1.* & cap. *Viduas, 1. c. 3.* sed viduam non convenire admittere ad habitum monachalem virginum, declaravit S. Congreg. Episcop. apud Gavant. *in Man. Episcop. v. Monialium receptio num. 7.* Quo ad foeminas vero illicite corruptas, maxime si lapsus carnis est publicus, decens est non admitti propter scandalum cæterarum, nisi in specialibus monasteriis mulierum poenitentium, & nisi forte sint aliqua circumstantiæ, quæ tale scandalum aut minuunt, aut tollant. *Suarez t. 4. de relig. tract. 9. l. 1. cap. 11. num. 2.* *Lezana 99. regular. cap. 25. n. 9.*

Quar. 5. An Hermaphroditus, si prævalet sexus fæmineus, possit ad religionem admitti.

Resp. Cum communi negative, quia id est

set in scandalum, & offendiculum mulierum, quæ ratio desumpta est *e. Definimus 18. q. 2.*

Quar. 6. An debeant attendi aliæ conditiones in puellis recipiendis.

Resp. Affirmative, scilicet, illas debere esse irreprehensibiles, morigeratas, ut decet sponsas Christi. Ab ipsis procul debet esse omnis defectus, qui aliis virginibus nocere possit, tum ratione mali exempli, & scandali, tum ratione periculi inficiendi in reliquis mores, & religiosam observantiam. Unde scandalosæ, petulantes, excommunicatæ, hæreticæ, vel schismaticæ aut flagitiosæ, a domo Dei excluduntur, ut expresse habetur *in c. 1. de stat. Relig. 12. in 6.* Neque debet admitti contagiosa, morbosa, aut dæmoniaca, vel furiosa, immo si talis reperiatur ante professionem, est expellenda.

Quar. 7. An puella muta, & surda, vel cæca possit ad Religionem admitti.

Resp. Affirmative, dummodo probetur polere intellectu perfecto, & signis posse consensum exprimere: si enim ad matrimonium carnale est apta, ut probat *Sanch. de matrimon. lib. disp. 8. n. 12.* cur non erit ad spirituale, cum nec minor obligationis notitia, nec consensus minor consideretur in matrimonio carnali, quam in spirituali? Ita pluribus adductis *Diana in opere coord. t. 6. tr. 1. resol. 1. ref. 142.* ubi *Sanch. in sum. t. 2. lib. 5. c. 3. n. 2.* notat hoc non procedere, si non solum sit muta, & surda, sed etiam cæca, quia muta tantum, & surda, solis signis edoceri potest professionis naturam, quam per nutus percipere non potest, si cæca, neque pariter habere locum, si cæca sit simul, & surda, quamvis non mutua, licet hoc non e natura habeat, sed casu, nequit

enim verbis edoceri, quia surda; nec nutibus, quia cæca.

Quar. 8. Quid agendum, si recipiatur puella, quæ postea detegatur gravida, & pariat in monasterio.

Resp. Admonendum esse Episcopum, qui, si casus sit occultus, solique monialibus notus, & timeatur ab expulsionem scandalum, vel imminet puellæ a parentibus vitæ periculum; illam intra monasterium detruet in carcerem; a quo non debet amoveri, nisi prius S. Cong. confusa. Interim monialibus prohibendum cum illa colloqui, & Novitiatus annum non curiare, referpsit Episcopo Interamnen. S. Cong. 6. Julii 1693. apud Pignat. *conf. 85. n. 214.*

Quar. 9. An condiciones assignatæ a Sixto V. pro receptione, & professione Novitiorum extendantur ad moniales.

Resp. Negative; ita enim declaravit ipsemet Sixtus V. in secunda Constitutione *Ad Romanum spectat.* Idem dicendum esse de Decretis Clem. VIII. & Urbani VIII. circa receptionem, & institutionem Novitiorum, asserit Lezan. *loc. cit. n. 52.*

Quar. 10. An puellæ recipi possint ad habitum ante annum duodecimum expletum.

Resp. Negant Rodriq. Nald. *Tamb. de jure Abbat. disp. 4. q. 2. n. 2.* & colligunt ex Trid. *sess. 25. de reg. c. 16.* ubi sic habet: *Sancta Synodus statuit, acque decernit, ut, si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiatur, nec postea ipsa, vel alia professionem emitatur, quam exploraverit Episcopus &c.* Nihil tamen in hoc decreto Concilium statuere de ætate puellarum recipiendarum ad habitum religionis, docent Sanch.

in decal. lib. 4. c. 18. n. 33 Villalob. Miranda; Sanchez, & alii, præcipue Medila *lib. 3. de continen. controu. 9. c. 4.* qui interfuit Concil. Trid. quando hoc sancitum fuit. Ratio est; quia Concilium solum decernit de exploratione voluntatis earum, quæ suscipiunt habitum, & profitentur, quod nimirum sit ab Episcopo, vel ejus Vicario exploranda voluntas, si sint majores duodecim annis. Priorem tamen sententiam amplectendam censeo, attenda declaratione S. Congr. quam refert Vecchius *in prax. Novit. disp. 2. dub. 6.* & est tenoris sequentis: *Congr. rescripsit aliquam puellam non debere admitti ante duodecimum annum ad habitum suscipiendum, cujus causa requiritur voluntatis puella exploratio. Non est autem voluntas Congr. neque Concilii, ut ante illam ætatem puella admittantur. Quare puellæ natu minores nullatenus admittendæ sunt, nisi impetrata licentia a S. Congr. super Episcop. & Regul. quæ non nisi raro, ac matura deliberatione illam concedere consuevit, ut advertit Pignat. *r. 9. conf. 87. n. 35.* ubi notatur de praxi.*

Quar. 11. Quid aliud requiratur ad validam puellarum receptionem.

Resp. Requiritur monialium consensum; quia inter monasterium recipiens, & monialem receptam sit contractus reciprocus perpetuo valiturus, si puella profiteatur: qui contractus subsistere non potest, nisi accedente reciproco consensu, quapropter monialium consensus requiritur.

Quar. 12. An debeat concurrere etiam Episcopi licentia, & Prælati, sub cujus gubernio existunt.

Resp. Affirmative; quia receptio est aliquo

quo modo actus jurisdictionis, quare oportet, ut Prælatus, apud quem est propria jurisdictione, concurrat. Ita Suar. s. 4. de relig. tract. 9. lib. 10. cap. 11.

Quar. 13. An Episcopi licentia requiratur etiam pro recipiendis puellis in monasteria Regularibus subjecta.

Resp. Videri quod non, quia concessio hujusmodi licentiæ est actus jurisdictionis, vel saltem superioritatis, ut diximus; Episcopus autem nullam habet superioritatem in monasterio Regularibus subjecto; exceptis casibus a jure, & Pontificiis Constitutionibus expressis: quod autem talem licentiam concedere spectet ad Episcopum, nullibi reperitur expressum. Nihilominus tenendum est, ad Episcopum spectare, quia id pertinet ad monasterium clausuram, cujus conservatio Episcopis demandatur per Tridentinum, & ita declaravit S. Congreg. super Episc. quam declarationem refert Pignatelli. 4. consult. 171. n. 4.

Quar. 14. An renuente Abbatisa possint moniales recipere ad habitum religionis, ejusque probationem, puellam ingressam religionis petentem.

Resp. Posse, dummodo accedat consensus Prælati; colligitur ex Suar. l. c. quia in actis capitularibus Abbatisa nullam exercet jurisdictionem sibi qua tali propriam, nam jurisdictionis proprie dictæ est incapax; ergo se habet tantum ut monialis talis monasterii; unde fit, quod sicut renuente hac, vel illa moniali, nihilominus valida fieri potest receptio, si interveniat debitus numerus suffragiorum, sic valida etiam erit receptio, quamvis dissentiat Abbatisa.

Quar. 15. An Episcopus, vel Prælatus Regularis

respectu exemptarum possit invitare monialibus alicujus monasterii aliquam monialem recipere.

Resp. Universaliter loquendo, quod non; & ita docent Abbas cap. postulantis, n. 14. de concess. prob. & ibi Anton. n. n. Imola n. 15. & 16. ubi asserunt, expediendum ab Episcopo cum Capituli consensu indigere consensu Episcopi, & ultra illum, consensu majoris partis Capituli: & idem ait Abbas dicendum de quocunque Collegio. Verum tamen est, quod si monasterium penuriam monialium haberet, & conventus monitus assignato sibi termino nollemittere, in tali casu posset Episcopus, vel Prælatus supplere conventus consensum; quod probant Dominic. cap. fin. n. 5. & ibi Francus in fine de reg. in 5. quos refert, & sequitur Sanchez, lib. 5. c. 4. n. 71.

Quar. 16. An peccent moniales mortaliter, si absque iusta causa denegent votum puellæ alias idoneæ ad ingrediendam religionem.

Resp. Contra Sanchez, & Caramuel affirmative; quia lædunt charitatem proximi in re gravi; nam unicuique mandavit Deus de proximo suo; & operantur contra bonum religionis, quia expellunt idoneas. Ita Barth. a S. Fausto, & Miranda cum aliis. Quod a fortiori locum habet in admittance ad professionem, cum ad ipsam puella, dummodo sit idonea, habeat jus acquisitum.

Quar. 17. An puella semel, ac iterum capitulariter exclusa ab admittance ad religionem, coacto iterum Capitulo admitti possit.

Resp. Affirmativa ex declaratione S. Congreg. in Assisen. 10. Jun. apud Nicol. v. Novissia

n. 23. & hoc maxime locum habet, si occurrant de novo rationes id suadentes. E contra poterit puella capitulariter admissa, coacto iterum Capitulo, novis causis supervenientibus excludi; contrariorum enim eadem est disciplina quantum ad juris dispositionem, *l. diem §. fari. ff. de arbit. & notat Peregr. p. 2. conf. c. 5. §. 11. & 12.*

Quar. 18. An moniales possint recipere in quocunque numero puellas petentes Religionis ingressum, si alias dotibus requisitis sine prædix.

Resp. Non posse, si in monasterio extet jam numerus monialium taxatus juxta decretum Conc. Trid. *sess. 25. c. 3. de reg. ac Constit. S. Pii V. Circa Pastoralis*, quibus statuitur, ut receptio monialium non fiat nisi intra numerum monialium, quæ ex redditibus, aut consuetis elemosynis sustentari commode possint.

Quar. 19. An possit admitti supra numerum puella, quæ secum deferat dotem, ex qua commode valeat sustentari.

Resp. Affirmant Suar. Navar. Lezan. & alii relati a Novar. *Sum. Bull. comment. 95. num. 7.* Nam talis dos computari potest inter elemosynas, aut redditus monasterii, sique cessat ratio præsentis prohibitionis. Puto nihilominus non esse recedendum a sententia Portel. qui dicit, præfatam puellam non esse recipiendam absque legitima licentia, ob expressam prohibitionem factam.

Quar. 20. An professio puellæ supra numerum admittæ sit irrita.

Resp. Affirmative, juxta dispositionem *c. an. §. sane de statu Regul. in 6.* Talem tamen irritationem putat Sanchez consueto ordine abrogatam, quod non admittit Caltro-

palus

Palus dicens, constare de irritatione, de consuetudine vero abrogante non constare. Notat tamen Lazana *ex declaratione S. Congreg. sub die 6. Septemb. 1604.* moniales, quæ supra numerum præfixum in quocunque monasterio recipiuntur, in locum morientium monialium non subrogari (nisi in licentia, quæ impetrari debet a Sacra Congregatione, teste Gavant. aliter sit dispositum.) Nec obstare, quin aliæ in locum earundem ex numero constituto demortuarum recipi eodem modo possint, quo in unoquoque monasterio admitti possunt intra numerum, quinimo præfatas moniales sic supra numerum receptas semper quo ad hoc manere supranumerarias, esto in cæteris nihil differant ab aliis, & iis in omnibus sint pares.

Quar. 21. Utrum Episcopus possit numerum augere, si contingat, reditus annuos ita crescere, ut ex iis possit major numerus sustentari sine dispendio monasterii.

Resp. Neque in hoc casu numerum monialium augeri posse ab Ordinario sine licentia Sacre Congregationis. Ita pluries declaravit Sac. Congr. *super Episc. & Regul. in Brundisina die 12. Martii 1602. in Lauretana 27. Julii 1604. & 23. Julii 1649.* quæ non conceditur, nisi reditus ita sint aucti, ut quotannis ultra triginta aureos annuos sit aliquid reliqui, *ut in rhegien. 29. Novemb. 1600.*

S. I I.

De exploratione Voluntatis puella recipienda.

Quar. 1. **A**N, a quo, & quando puellæ recipiendæ voluntas sit exploranda.

Resp. Ex Conc. Trid. *sess. 25. de Regular. cap. 17.* puellæ voluntatem esse explorandam ab Episcopo: vel eo absente, vel impedito, ab ejus Vicario; aut aliquo eorum sumptibus ab eis deputato. Est autem exploratio hæc bis faciendâ, antequam scilicet puella habitum religionis suscipiat, & professionem emittat. Si tamen alicubi sit legitime præscriptum, quod semel tantum voluntas exploretur, servandam esse consuetudinem, non obstante Tridentini decreto, docent Miranda, Villalob. Portel. Sanch. & Rodrig. *s. 3. 99. regular. q. 12. n. 3.* ubi in praxi testatur in Hispania servari. Ubi vero utraq; exploratio est in usu, si omittatur prima in ordine ad habitum, sufficit secunda in ordine ad professionem; & ita referunt decisum a Sacra Congregatione Praxis Episcop. *p. 1. v. Moniales.* Barb. *de potest. Episc. allegat. 500. n. 4.* Quod si contingeret utranque explorationem omitti, peccaretur quidem mortaliter, quia violaretur Constitutio Concilii Tridentini in re gravi, non tamen irrita esset professio, cum Concilium non ponat decretum irritans. Rodriguez, Barbof. Tambur. & Sanch. *lib. 5. sum. c. 4. n. 284.* & ita declaravit S. Congr. Conc. apud Fagnanum.

Quar. 2. Ad quid ordinata fuit hæc voluntatis exploratio?

Resp.

Resp. Ex eodem Conc. *l. c.* ad consulendum libertati puellarum, ad dignoscendum scilicet, an illarum electio inconsiderata sit, an seducta, an spontanea, an coacta.

Quar. 3. Quid agere debeat Episcopus, si reperiat puellam non satis in vocatione constantem: vel vi, aut metu in monasterium detrusam.

Resp. Quoad primum, debet præfigere terminum quindecim dierum, in quo deliberet, an velit induere habitum, aut profiteri, necne. Ita decisum referunt Campan. Barb. *alleg. cit. n. 2.* Tamb. *de jur. Abbariff. disp. 4. q. 2. n. 10.* Quoad secundum, debet illam de monasterio educere, in tuto collocare, ejus libertati consulere, & si quid damni passa fuerit, illi providere expensis illius, qui eam in monasterium incluserat, qui propterea debet severe puniri. Tambur. *c. e. disp. 33. q. 1. n. 9.*

Quar. 4. An dentur aliqui casus, in quibus licitum sit cogere puellas ad religionis ingressum.

Resp. Tres casus enumerat Peyrin. *v. 1. q. 1. cap. 19. concl. 2.* quorum primus est, quando puella sponte religionem vovit. Secundus, quando conjux conscia de dispositione juris consentit virum ingredi religionem, ut in ea profiteatur. Tertius, quando quis delictum commisit, per quod necesse sit in monasterium detudi. In secundo, & tertio casu non potest cogi ad profitendum, sed ad ingrediendum religionem, vel ad continentiam servandam, vel ad tuendam pœnam. Cogi insuper potest, si conjugata post duos menses renuat consummare matrimonium, ad deliberandum de religione. Si post quinquennium dicat professionem fuisse nullam. Præter hos casus,

compellere ad religionem expresse prohibetur sub pœna excommunicationis majoris, non tamen reservata, a Conc. Trid. *sess. 25. c. 18.*

Quar. 5. An decretum Concilii, in quo agit de coactione, debeat intelligi de coactione proprie dicta.

Resp. Affirmative. Ita Azor. *p. 1. lib. 13. c. 9. q. 2. Barb. alleg. 104. n. 3.* afferens Armendar. testantem, ita fuisse decisum; cum enim decretum sit poenale, debet stricte accipi, atque adeo de coactione stricte, & rigoroſe sumptæ. Hinc nequæ vehemens persuasio, neque preces, nisi sint personæ, a qua proveniat metus reverentialis, subsunt huic poenæ, ut notat Bonac. *de censur. disp. 2. q. 2. pun. 1. num. 1.*

Quar. 6. An hæc excommunicatio extendatur ad dantes consilium, auxilium, consensum, aut favorem.

Resp. Affirmative ex Conc. Trid. quia hujusmodi actus, cum sint accessorii, & respectivi ad priorem actum, aliquo modo influunt in ipsum, unde merito comprehenduntur sua prohibitione. Et ob eandem rationem extenditur poena etiam ad scientes, puellam sponte non ingredi, habitum suscipere, aut profiteri, si præsentis fuerint actui, aut consensum, aut auctoritatem interposuerunt. Nominè tamen præsentia intelligitur tantum illa præsentia, quæ sit ex proposito, & intentione actus prohibiti, ita ut contineat quendam tacitum consensum, ut notat Sanch. *lib. 4. Sum. c. 4. n. 21.* Unde qui præsens elset ex alia causa, non subiceretur huic poenæ.

Quar. 7. An ad hoc, ut habeat locum hæc excommunicatio, requiratur effectus, scilicet ingressus, aut habitus susceptio, aut professio.

Resp.

Resp. Requiritur, quia non imponitur nisi cogentibus ingredi &c. non dicitur autem cogi ingredi, nisi sequatur effectus, scilicet ingressus &c. Neque habet locum; si coactio non sit ad vitam religiosam suscipiendam, ut notant Navar. Rodriq. Zerol. Sanch. & Bonac. *dis. cit. p. 2. n. 6.*

Quar. 8. An pro hac coactione inducenda sufficiat metus.

Resp. Non esse dubitandum, si metus sit gravis, qui ad inducendam coactionem sufficit, quod actus non sit voluntarius; actus autem ex metu elicitus voluntarius non est; quia voluntas meticulousa habet in superficie volitionem, & in medulla nolitionem, *l. Nichil ff. de reg. jur. Bald. in c. quisquis n. 11. de electis*

Quar. 9. An metus reverentialis sufficiat ad hanc excommunicationem contrahendam.

Resp. Si ex se concipitur a puella ob reverentiam parentum absque illorum cooperatione, non sufficit, quia in tali casu parentes non se habent active. Ita tenent Rodriq., Riccius, Tamb. & Portel. *in dub. Regul. v. Moniales 12.* Si vero oritur ex declaratione voluntatis parentum, aut consanguineorum, contrahitur præsens excommunicatio, siquidem in jure habetur ratio hujus timoris; unde non contradicens ob reverentiam non censetur consentire, *cap. si cum dotem, §. eo autem tempore, ff. de solut. matrim.* Rursus reverentia purificatur cum metu, *l. 1. §. qua observanda, ff. quar. rer. alt. non det.*

Quar. 10. An peccent moniales scienter recipientes puellam coactam suscipere habitum religionis, vel professionem emittere.

Resp. Quod sic, & quidem mortaliter,

B 3 Pey-

Peyrin. l. 2. q. 3. c. 1. §. 2. Si enim cogentes ad ingressum mortaliter peccant, peccabunt quoque moniales, quia recipientes puellam cooperantur ad sui injuriosam libertati, & consequenter peccaminoso. Imo incidunt etiam in prædictam excommunicationem, quia coactio ad ingressum, & admissio in præsentī casu sunt correlativa, quia coactio, ut diximus, debet intelligi cum effectu; de natura autem correlativorum est, quod dictum de uno, de altero quoque dictum esse censeatur, *l. ult. C. de in d. videt. C. de Supr. lib. 11.* Si ergo subduntur excommunicationi cogentes, subduntur etiam admittentes, quod clare habetur ex Trident. *loc. cit. ibi.* Quoque modo eidem actus præsentiam, vel consensum interposuerint. Ita Majol. & Tambur. quos refert, & sequitur Pasqual. in *Lauret. p. 1. n. 664.*

§. III.

De Anno Probationis.

Quar. 1. **A** Quo tempore incipiat annus probationis.

Resp. Incipere a die susceptionis habitus, sive ab eo die, quo communem sequitur aliarum monialium vitam, & incipit puella experiri religionis asperitates, ac incorporatur aliquo modo religioni; ita ut ponatur in dispositione, quod fiat membrum ipsius. Miranda, Faustus, Pasqual. & alii.

Quar. 2. In qua ætate possint puellæ admitti ad annum probationis.

Resp. Cum communi non posse admitti ante perfectam pubertatem, quæ in sceminis perficitur anno duodecimo completo. Ratio est, quia tempus probationis datur ad hoc, ut novitæ experiri possint religionis austeritates.

gates, inter quas supremum omnium locum tenet observantia castitatis, cujus difficultates impuberes nequeunt experiri.

Quar. 3. An probationis annus debeat esse completus.

Resp. Debere, constat ex Trid. *sess. 25. de Reg. c. 15. ibi.* In quacunque religione tam virorum, quam mulierum, nullus ad professionem admittatur, qui minori tempore quam per annum in probatione steterit; professio autem antea facta, sit nulla, nullosque habeat effectus. Hoc decreto remanet sublata facultas remittendi annum probationis, qui de partium consensu remitti poterat, *c. ad Apostolicam de Regular.*

Quar. 4. An iste annus debeat esse completus de momento in momentum.

Resp. Cum communi quod sic, quia Concilium statuit, quod nullus ad professionem admittatur, qui minori tempore, quam per annum, in probatione fuerit; unde qui staret una hora, vel quadrante minus, staret minus anno, juxta *l. 3. §. minorem, ff. de minor.* atque adeo contra statutum Concilii operaretur. Tum quia quando anni assignantur cum propositione *Per*, debent esse completi, *l. non putabam, & l. si annos, ff. de condition. & demonstr.* dissentiunt Rodriq. Gratian. D'ama, & alii, afferentes sufficere diem esse incœptam; quia in favorabilibus dies cœpta habetur pro completa, & in moralibus parum pro nihilo reputatur; sed hæc non subsistunt, quia procedunt, quando lex aliter non disponit; prout in casu. Unde etiam in Anno bissextili duo dies debent computari pro uno, quia tunc ille annus eo solum modo dicitur completus. Ita Sanch. Lessius, Rodriq.

& Labor. qui refert ita decifum fuiffe a S. Congreg. Quare moniales admittentes fcienter puellam ad profefionem ante dictum annum expletum peccant mortaliter, quia in re gravi agunt contra Concilium. Faufius, Lef. Sylveft. & Peyr.

Quar. 5. An probationis annus debeat efle continuus.

Resp. Cum communi affirmative, quia, quando lex certum tempus requirit, intelligendum eft de tempore continuo, ut volunt Doctores; ita interpretatur confuetudo, & declaravit S. Congr. Concilii, teftes Suar. 2. 3. de Relig. lib. 5. c. 15. n. 3. Sufficit tamen, quod hæc continuatio fit per annum expletum; unde fi completo anno puella egrederetur a monafterio, & poftea rediret, profefionem emittere poftet virtute antea actæ probationis, nec teneretur novum novitiatus annum incipere, ut contra Suarez, & Vecchium docet Sanchez cum Glof. 1. in cap. cum qui de Regul. in 6. quæ dicit, cum, qui certus eft, certiorari amplius non oportere. Et hoc ipfum firmat Jo. And. in addit. v. exivit. & fequitur Lapp. alleg. 47. n. 2. & 3. S. Anton. & Sylveft. dicens, hanc fententiam efle indubitam, quam etiam probavit S. Congreg. Concilii in novitia, quæ exivit fine licentia. Item propofito dubio, An novitia, quæ finito anno probationis exivit e monafterio fine licentia Ordinarii, iterum reverfa, poftet ad profefionem fine nova probatione emittenda admitti. Die 12. Februarii 1598. Sacra Congreg. cenfuit poffe, nifi conditio religionis, aut persona fit immutata, idque a fuperioribus Monafterii diligenter efle difpiciendum.

Quar.

Quar. 4. Quomodo probationis annus interrumpatur.

Resp. Interrumpi per quamcunque habitus dimiffionem factam animo eum amplius non reafumendi, ac religionem deferendi. Ita Suarez, Vecchius, Portel. & Sanchez, qui cum Peyrin Navar. & aliis cenfet, etiam per modicam interpolationem unius, vel duorum dierum probationis annum interrumpi. Quia tempus peti tum ad aliquem actum, cenfetur peti tanquam forma, ut probat text. auth. qua fupplicatio, c. de precib. Imper. offer. Omiffio autem formæ in minimo vitiat actum, ut alios allegans probat Tiraquel, trakt. de jud. in rebus exiguis n. 12. Cum ergo ad profefionis valorem petat Tridentinum annum continuum, illam ritam reddet quantumvis minimus continuationis defectus. Quod maxime verum eft; fi novitia egrediatur cum animo determinato permanendi in feculo, quia per egressum, & voluntatem non profitendi novitiatus antecedens dicitur extinctus, ut refpondit Rota in Melevitana nullitatis profefionis coram Roya dec. 491. n. 13. & feq.

Limitat hanc doctrinam Navar. in 1. edit. lib. 2. conf. de regul. conf. 45. v. 1. xalu quo novitia brevi tempore latitaret in camera monafterii animo fugiendi, quia momentaneum, & non confiderabile reputatur, ftante permanentia, & continuatione in monafterio.

Quar. 7. An puella interrumpat probationis annum, fi fugiat e monafterio, habituro extero.

Resp. Interrumpere. Ita fentunt Kofel. Sylveft. Manuel, & Sanchez, quia per permanentiam extra religionem jugum obedientiæ interrumpitur. Et ita videntur fenfiffe, etiam

B 5 si ani

si animo redeundi fugiat. Hoc tamen non admittit Sanchez, nisi quando esset proprie fuga, qua religio deseritur animo etiam redeundi; nam si exiret ad vitandam tantum Abbatissæ, vel Magistræ sævitiam, non teneretur incipere novitiatum, quia in rigore fugitiva non esset.

Quar. 8. An censeri debeat interruptus probationis annus, si puella a monialium capitulo dimissa, & habitu religionis expoliata, postea murata sententia ad habitum restituitur, antequam exeat e monasterio.

Resp. Non censeri interruptum, quia in hoc casu habitus dimissio non est cum effectu egressionis. Suar. Vecc. & Peyrin.

Quar. 9. An probationis annus interrompatur, si novitia tempore probationis, causa infirmitatis curandæ, in domum parentum habitu religionis induta se transferat.

Resp. Discrepant in hoc doctores. Non interruptum putant Suar. r. 3. de relig. lib. 5. c. 14. v. 31. Nav. Sorb. & alii, & ita declaratum fuisse a S. Congr. refert Vecch. disp. 12. dub. 3. n. 13. Censetur enim monachus esse in monasterio, quantum diu extra moratur de licentia sui Abbatis, ut dixit Abb. c. cum illorum de sens. excom. Quod procedit, etiam si huiusmodi licentia illicitæ, & sine causa rationabili concedatur, ut ex Suar. & Diava notat Barb. alleg. 201. n. 28. de off. & potest. Episc. Aliter in hoc puncto iudicavit Rota Romana, apud Farin. p. 1. dec. 171. n. 2. Quapropter priorem opinionem modo in praxi non esse tutam, ait Grat. discept. for. rom. 1. c. 166. n. 16. quia continuitas anni probationis in religione est de forma, & in his, quæ sunt de forma, rigor juris servandus est. Amplectitur hanc secundam sententiam.

sententiam Peyrinus in casu longæ absentia sine causa procuratæ, ad fugiendas asperitates: si vero absentia sit per breve tempus aliquorum dierum, non mensium, admittit primam.

Quar. 10. An sit de essentia quod novitiatu compleatur a puella habitu religionis induta.

Resp. Esse de essentia, patet ex Trid. sess. 25. de Regul. c. 15. in illis verbis: *Minori tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steteris.* Hoc confirmat consuetudo, & suadet ratio; nam non posset novitia probare austeritatem monachalem, quæ magna ex parte in vestibus consistit. Ita Azor. Rodrig. Sanch. Mirand. & alii. Et quidem vestis novitiæ debet esse secundum regulæ suæ statuta. Sylv. v. habitum n. 11. & 3. & ubi figura, color, & materia vestium determinata sunt, peccaret mortaliter varians, vel mutuans, nisi fieret mutatio parva, quæ non sit notabilis, ut in prolixitate, vel brevitate. Ita Tambur. & ante eum Jö. Andr. de reg. jur. reg. 88. n. 3.

Quar. 11. An moniali novitiæ iusta de causa possit protrahi annus probationis.

Resp. Videri quod non, quia Concilium cit. sess. c. 16. expresse præcipit, quod finito tempore novitiatu, Superiores novitias, quas habiles invenerint, ad professionem admittant, aut eas e monasterio ejciant, & juxta hoc decretum Sacra Congregatio Conc. teste Mirand. q. 8. de Monial. a. 3. declaravit, monialibus, elapso tempore novitiatu, si habiles sint, præfigendum esse ab Ordinario terminum quindécim, aut viginti dierum, ad deliberandum, num velint profiteri, necne, & si renuant profiteri, continuo remittendas esse ad parentes, aut consanguineos.

Verum per hoc decretum non tolli, quin ex rationabili causa possit prorogari annus probationis, & proinde verba illa *finito tempore* intelligenda esse civiliter, ac cum moderata latitudine, & quando nulla subest causa prorogandi, tradunt Rodrig. Navar. Sanch. Leis. & Faustus, & ita declaravit S. Congr. ut habetur ex *collect. Card. Bellar. ad c. 15. de reg. sess. 25.* ita etiam observatur in praxi. Alioquin nimis durum esset, ut novitia, revoluta anno probationis, confestim, & nulla interjecta mora, expellenda esset e monasterio, si protinus ob legitimum aliquod impedimentum profiteri non posset, aut pro qualibet brevi dilatione impedenda recurrendum esset ad Sedem Apostolicam.

Quar. 12. Quantum possit probationis tempus prorogari.

Resp. Quod si prorogetur, quia novitia de presenti sit inhabilis ad profitendum, & adit spes superventurae habitatis, potest protrahi usque ad sextum mensem, sicut declaravit Pius V. pro Patribus Dominicanis in *eorum Const. ad text. 11. c. 14. de Novitiis dista.* referente Donato in *Praxi regul. p. 4. cap. 9. q. 18. n. 9.* & cum hoc sit fundatum in ratione, mihi videtur servandam, quia nisi per sex menses superveniat habitas, non videtur amplius speranda, praesertim si agatur de moribus.

Si vero protrahatur ratione impedimenti, aut negotii, videndum est, an puella remaneat in novitiatu, ita ut continuari possit experimentum morum ipsius, an vero exeat e monasterio. Si remaneat in novitiatu, atque adeo in experimento, existimat Pasqual. in *Lauret. p. 1. n. 43.* quod possit prorogari per totum illud tempus, quo durat impedimentum, seu

seu negotium; nam, durante causa prorogationis, potest etiam durare prorogatio, cum inde non proveniat aliquod damnum religioni, immo potest diutius novitiae mores experiri. At si exeat e monasterio, non poterit prorogari nisi per breve tempus, in quo non sit moraliter possibile, quod mutet mores, unde ad summum prorogari poterit per duos menses; nam in minori tempore posset de morum mutatione dubitari.

Quar. 13. An facta una prorogatione, possit fieri & alia.

Resp. Si debet fieri in ordine ad expectandam habitatem, poterit fieri, si jam incoeperit fieri habilis, secus autem si non incoeperit, nam tunc prudenter censenda est desperata habitas. Si vero est facienda ob negotia, vel impedimenta, poterit fieri, si maneat in novitiatu; at si maneat extra monasterium, nullo modo potest fieri, quia facile illam disciplinam exueret, qua in novitiatu fuit imbuta.

Quar. 14. An quando prorogatur tempus, debeat compleri de momento in momentum.

Resp. Debere compleri, sicut diximus de anno probationis; nam prorogatio censetur una & eadem cum prima dispositione, ut per Rotam coram Seraph. *dec. 5326. num. 3.* & primum tempus praefixum ita confunditur cum tempore postea addito per prorogationem, ut reputetur unum & idem tempus, non autem diversum a primo. Ita in terminis prorogationis novitiatus. *Rovit. dec. 40. n. 11.*

Quar. 15. An puella de licentia Ordinarii possit recipi in habitu saeculari intra monasterium ad effectum quidem habitum religiosum suscipiendi, sed non nisi post plures dies.

Resp. Non posse, quia Ordinarii nullam auctoritatem

toritatem habent introducendi puellas intrac-
clausuram nisi ad effectum habitus illic suscipien-
di in locis numerariis, ac directe ad locum no-
vitiatus eundi. *Salernitana* 10. *Februarii* 1645.
& *u. Junii* 1646. Hæc habitus susceptio debet
fieri immediate, vel ad summum, si adfit con-
suetudo, puellæ detineri possunt in habitu sæ-
culari per duos, vel tres dies. In *Brixien.* 13.
Junii 1594. Alias tam ingredientiæ, quam reci-
pientes incurrunt in censuras, & poenas. *Bullæ*
Gregorii XIII. in Auximana. 13. *Nov.* 1589. in
Asten. 18. *Decemb.* ejusd. an.

S. IV.

De Bonorum renunciacione ante professionem
facienda.

Quar. 1. Quæ forma in bonorum renuncia-
tione sit servanda.

Resp. Forma in bonorum re-
nunciacione servanda traditur a Conc. *Trid. sess.*
25. de Regul. c. 26. ubi dicitur: *Nulla renuncia-*
tio, aut obligatio antea facta etiam cum jura-
mento, vel in favorem cujuscumque causa pia,
valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vi-
carii fiat intra duos menses proximos ante profes-
sionem; ac non alias intelligatur effectum suum
sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta,
etiam si cum hujus favoris expressâ renunciacione,
etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.

Quar. 2. Qui contractus comprehendantur
sub nomine renunciacionis, & obligationis.

Resp. Quod, cum mens Concilii fuerit no-
vitiarum libertati consulere, in hoc decreto
comprehenduntur omnes illæ renunciaciones,
& obligationes, quæ difficilem e religione egres-
sum

sum possunt efficere. Quare sub hac prohibitio-
ne veniunt omnes contractus lucrativi, quales
sunt donationes, renunciaciones, fidejussiones,
liberationes a reddendis rationibus &c. & etiam
illi contractus onerosi, in quibus non tantum-
dem recipitur, quantum datur. Non tamen com-
prehenduntur contractus emptionis, & vendi-
tionis, permutationis, locationis &c. nec testa-
mentum, quia in his casibus, cum non minua-
tur patrimonium, non læditur libertas novitiæ;
ita quod difficilis reddatur egressus, ad quod
respexit Concilium: cessante igitur ratione fina-
li, cessabit quoque prohibitio. Ita *Sanch. in*
Decal. t. 2. lib. 7. c. 5. an. 31. usque ad 35. alios referens.
Addunt aliqui, posse novitiam de prop-
riis bonis aliquid monasterio mutare, maxime
si intercedat fidejussio, vel pignus, aut saltem
scriptura publica, quia ratio Concilii cessat in
mutuo; nam si discedit novitia a religione, fa-
cile recuperare poterit, quod mutuaverit mona-
sterio. Verum in praxi sequendam oppositum
tanquam conformius menti Concilii.

Quar. 3. An comprehendatur sub decreto re-
nunciatio facta a novitia statim post susceptum
habitum sub conditione, ut sit irrita, si non se-
quatur professio.

Resp. Comprehendit. Ita *Navarr. Rodrig. &*
Fault. quos refert, & sequitur *Sanchez. loc. cit.*
n. 17. & ratio est, quia in renunciacione facta
in tempore habili, & cum solemnitate requisi-
ta per decretum, inest tacita conditio, ut pro-
fessione nondum secuta sit nullius valoris: & ta-
men ea solemnitas est necessaria; ergo dicen-
dum idem est, ea conditione expressa, cum ta-
citi & expressi idem sit judicium, *l. cum quid.*
ff. si cert. petit. & frustra exprimitur, quod ta-
cite